

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe


**Promptuarium allegoriarum sacrarum praecipua fidei
christianae capita illustrantium: indice quadruplici
instructum post editiones 5 revisum, iam septimo
recusum**

Botsack, Johann

Francofurti ad Moenum, 1678

Articvlvs I.

[urn:nbn:de:bsz:31-142795](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-142795)



CAPUT X.

DE LEGE ET
EVANGELIO.

ARTICULUS I.

CONJUNCTE DE LEGE
& Evangelio.

LEX ET EVANGELIUM.

1012. *Desponsavi te mihi in iudicio & misericordia, Osee 2. v. 19. Iudicium nullibi nisi in lege est, quæ habet accusatorem Dei iustitiam, hæc enim iustitia est Dei, Rom. 8. v. 4. propriam conscientiam, Rom. 2. vers. 15. Reum peccatorem. In Evangelio non est iudicium, quia fidem proponit; at qui fidem habet, non iudicatur, Johan. 3. vers. 18. In misericordia autem fit desponsatio, quia ubi desinit in iudicio & lege iustitia, ibi incipit in bonitate & Evangelia misericordia. In utraque ergo facta est desponsatio. In iudicio obliquè, cum patrociniū sub marito nostro spiritali Christo querere legis fulminibus compellimur, ut pædagogī. In misericordia Evangelii directè.*

EVANGELII ET LEGIS
effecta divina.

1013. *Mosis splendorem non nisi velamine tectum, Israelita intueri poterant, splendorem in facie Christi disci-*

discipuli ferre poterant, Exod. 34. v. 33. Matth. 17. v. 2.
 Hi sunt diversi legis & Evangelii effectus: Illa enim
 velamine indiget; rigidissimam enim justitiam Dei
 ostendit. Hoc non item; nam ostendit Christum, per
 quem gratia & veritas, Joh. 1. v. 17. quem revelata facie
 intuemur, 2. Cor. 3. v. ult.

LEX ET EVANGELIUM.

1013. *Pluvia temporanea & serotina à Domino promittitur, Deut. II. v. 14.*

1. *Temporanea* legem significare potest, quâ cordis ager post prædicationem velut perfunditur. Hæc matutina est & præcedit. Ita legis usus præcedit Evangelium, & matutinus esse debet, hoc est, jugiter tractari, inculcari, 2. Tim. 4. v. 2. Osæ 6. v. 4.

2. *Serotina autem pluvia*, quam frugum collectio requirit, evangelium adumbrat, quo corda, velut pluvia irrigari habent necessum, si frugifera debet esse pœnitentia. *Temporanea pluvia est in autumno*: sic legis usus est in autumno, hoc est, quando ager cordis primo scindendus est. *Serotina autem est in vere*, cum pœnitentiæ digni fructus debent efflorescere.

3. Psal. 32. v. 8. 9. *Consulam super te oculo meo.* Evangelium est oculus ille, quò Deus nos respicit. (nam & munificentia bonus oculus esse dicitur, Proverb. 22. vers. 9.) *Capistrum autem & frenum lex est*, qua equorum, hoc est, præfractorum, maxilla constringitur, os obturatur, Rom. 3. v. 19.

ARTICULUS II.

DE LEGE MORALI MAXIME.

LEX EST BACULUS.

1015. Esa. 9. v. 4. *Virgam humeri, & actoris nostri sceptrum, superavit Dominus.*

1. Virg.